Cum animadverterem quam plurimos graviter in via
morum errare. Succurrendum opinioni eorum
et consulendum fore existimavi. Maxime ut glo-
riose viverent et honorem contingerent. Nunc
te karissime fili docebo. quo pacto morem ani-
mi tui componas. Igitur precepta mea legito ut intelle-
gas. Legere enim et non intellegere neglegere est.
Itaque deo supplica. parentes ama. Cognatos
cole. datum serva. Foro para. Cum bonis ambula.
Antequam voceris ne accesseris. Mundus esto.
Saluta libenter. Maiori cede. Magistrum metue.
Verecundiam serva. Rem tuam custodi. Diligenciam
adhibe. Familiam cura. Mutuum da cui des.
Convivia raro. Quod satis est dormi. Iusiuran-
dum serva. Vino tempera. Pugna pro patria.
Nihil temere credideris. Meretricem fuge.
Libros lege. Quos legeris memento. Liberos
erudi. Blandus esto. Virtute utere. Trocho
lude. Aleam fuge. Litteras disce. Boni bene-
facito. Tute consule. Maledicus ne esto.
Existimacionem retine. Aequum iudica.
Nihil mentire. Iracundiam tempera.
parentem pacientia vince. Minorem ne contem-
pseris. Nihil arbitrio virium feceris. Pa-
tere legem quam ipse tuleris. Beneficii ac-
cepti esto memor. Pauca in convivio loquere.
Miserum noli irridere. Minime iudica.
Alienum noli concupiscere. Illud stude
agere. Quod iustum est. Libenter amorem ferto.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.9, 1v – Disticha Catonis; Ecloga Theoduli
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-8vam/5203/49704)